FRUCTUOSA, ET FORTUNATA POST FATA B. IOBI LUDOLFI STUDIA ORIENTALIS LITTERATURAE, ET...

Gottfried Vockerodt, Valenti Gonzaga

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLVSTRIS, ET EXCELLENTISSIME DOMINE,

PATRONE obſeruantisſime colende,

⁂ ⁂ ⁂

BEati ſoceri *TVI* ſingularis virtutis, & induſtriae exemplum non temere poſt laudatum coram *ILLVSTRI* panegyri B. Seckendorfium, qui eius condiſcipulus fuit, commendaui filio meo publice repraeſentandum. Vix aliunde luculentius conſtare poſſe videtur, quam pulchre pueritiae, & adoleſcentiae religioſa cuſtodia cum praeclara conſpiret indole ad ſectandum ſolidum virtutis opus, celebritatemque citius conſequendam, quam conſectandam. Pii, & ſapientis inſtituti mature nactus eſt autores, & duces idoneos, claros Erfurtenſium theologos, Matthaeum Meyfartum, & Bartholomaeum Elſnerum, illi maturis erectioris indolis documentis ita probatus, vt adhiberetur poſt nonum aetatis annum ad publica ſolennia academica, cum renunciatus *S. S. THEOLOGIAE DOCTOR* Vinarienſium ſacrorum antiſtes ſupremus, Nicolaus Zapfius, pueri voce pro ritu eſſet compellandus: huic cum nobilis animi non minus, quam generis, puero, Seckendorfio, traditus in diſciplinam. Cuius notae theologi illi fuerint, & quam integre, & incorrupte verſata ſit iſtorum induſtria in aſſerendis non ſolum euangelicae ve-

Digitized by Google

ritatis placitis, & vindicandis a deprauatione; ſed accommodandis etiam ad pii, ſanctique moris vſum, & proferendis in ſpecimina explorata vitae religioſioris, & emendatioris, loquuntur, quae ſuperſunt, eorum ſcripta; probant autem certius inſtituti ab ipſis alumni, excitatique hortatu, conſilio, & cura illorum magiſtra ad ſtudia rectiora, & ſanctiora, ad conſectandos verae ſapientiae, & ſolidae eruditionis fontes? praeter Ludolfos, & Seckendorfios honoris cauſſa nominandi Heydenreichii, & Pruckneri, quanta lumina patriae etiam noſtrae? ad quam piis, & ſapientibus inſtitutis ornandam ex Thuringorum metropoli eos euocauerat pii *PATRIS PATRIAE*, *BEATISSIMI ERNESTI*, prouidentia. Opportuna dudum ſedes, & domicilium introducti in Thuringorum terras cultus humanioris Erfurtum fuit, patuitque maxime ſtrenuis rei Chriſtianae amplificatoribus, e Britannia ad nos profectis, illi praeſertim, qui pro Wunefrido *BONIFACIVS* dictus eſt; qui impenſa cura, ſtudioque id egit, vt populo patriae ſuperſtitionis tenaci ritus traderentur Chriſtiani, & inſtituta meliora, ad cuiuscunque tunc Romanae integritatis praeſcriptum. Prodiit inde, cum in fatis eſſet, vt inueterata labes a ſacris Chriſtianorum detergeretur, qui fruſtra ab aliis deſtinata perficeret, laborantemque humanis inſtitutis religionem exigeret, reuocaretque ad ſimplicem, incorruptamque diuinae autoritatis praeſcriptionem, ad hos auſus praeparatus in Erfurtenſium Auguſtinianorum receſſu, ac piis ſtudiis, ſacrarum litterarum cognitione, & religioſa mentis agitatione confirmatus, frater Martinus, antequam conatus eius Wittebergae ſub Lutheri nomine clareſcerent. Ita cum paſſim diuinae veritatis profeſſio receſſionem a ſanctis moribus facere videretur, Erfurti fuerunt, qui recte ſentire, & pie viuere ſuum, & veri, cordatique euangelicae veritatis

rita-

Digitized by Google

ritatis aſſertoris officium eſſe crediderunt, & palam profeſſi ſunt. Ille ſenſus, & ſpiritus ſic dominatur in ſcriptis Meyfartianis ſatis celebratis, & vulgo notis, vt bellum autor illis indicere videatur, qui aliter ſentiunt: quod apparet ex tam copioſa, quam rara commentatione, qua barbariem academicam eſt inſectatus. B. Bartholomaei Elſneri, qui orientalis litteraturae praecipuus puero Ludolfo autor fuit, Gothae * typis exſcripta *SOLIDA EXPOSITIO OMNIVM EVANGELICAE RELIGIONIS CAPITVM* ſanctioris inſtituti luculenta prae ſe fert indicia, dum in ipſa inſcriptione inculcat, & vrget deriuata ex gratiae praeſidiis *CHRISTIANI* hominis officia, in pii, ſanctique moris exemplum, & documentum patientiae perpetuo tuenda. Nec diſſimulat in limine ** quam inuiſum profanorum multitudini, praeſertim efferatae per longum bellum Germanicum temporum licentia, fuerit illud ſuum ſtudium ornandi euangelicae veritatis profeſſionem curatiore, & religioſiore docendi, viuendique ratione; & in quas maleuolorum incurrerit voculas? Quorum corruptis de religione *EVANGELICA* iudiciis opponendam, & a fronte ſuae ſcriptionis exhibendam, ſapienter cenſuit, *ERNESTINAE* pietatis adminiſtri, ſuique in diuinis litteris illuſtrandis, vindicandisque a corruptelis profanorum ſocii: quia vtriusque praecipua in BIBLIIS ERNESTINIS adornandis ſpectata eſt induſtria: SALOMONIS videlicet

* 1643 in 8.

** *Derhalben ſie denn diejenige faſt nicht mehr vor rechte Chriſten achten wollen, ſondern vor Scheinheilige, Gleiſner, Sonderlinge, Schwärmer, Phantaſten und Ketzer auſruffen, welche nicht mit ihnen freſſen, ſauffen, ſpielen, und ſonſten ein unordiges leben führen; ſondern mit VVorten, und in der That ernſtlich auf die Buſſe, und wahre Gottſeligkeit gehen, und dringen. Et paullo poſt: Solche haben ihrer chriſtlichen Bekäntnis, und VVandel wegen der Satan, und ſeine VVerckzeuge zu allen Zeiten gehaſſet, verfolget, und beſchuldiget, ob gläubeten ſie nicht recht; ſondern wären Ketzer, Schwärmer, Neulinge, Puritaner, &c.*

giengen

Digitized by Google

GLASSII, ſummae autoritatis theologi, explicationem ab APOSTOLO commendatae THEOLOGIAE PRACTICAE, ſiue ſtudii veritatis ad vſum pietatis, Gothae *** ſcriptam & publicatam. In talium virorum ſcholam, & cuſtodiam traditi pueri, cum Ludolfis, & Seckendorfio, Heydenreichii, & Pruckneri, non intacti ſolum a temporum labe paullo ante memorata, & ſolenni adoleſcentibus nugandi vanitate ſeruati ſunt; ſed ita excitati ad recta, ſancta, & ſolida, vt adulti non ſolum egregie potuerint ſpartam, quam PIO PRINCIPE ſuffragante nacti ſunt, ornare, & illuſtrare patriam legibus, & ſtatutis ſalutaribus; ſed cogitare, & deliberare cum ſuo ERNESTO PIO de poſteris, exteriſque melioribus moribus, & inſtitutis imbuendis. Quid tentatum, perfectumque ſit IOBO LVDOLFO maxime autore, & adminiſtro, loquitur panegyricus filii mei ſermo? Certe admiranda orbi terrarum res viſa eſt, Gothae verſari, ſpectarique Abaſſinum, & Ruſſorum legatum. At vero admirabilius eſt cenſendum, Gothanos, & Erfurtenſes, ERNESTINAE prouidentiae, & pietatis ratione inſtitutos, adhuc ſtrenue verſari in opere pulcherrimo, in vulganda per orientem, & ſeptentrionem, & propaganda ad extremos Indos veritate, & pietate euangelica; ex quo Ludolforum ſolertia, & induſtria indefeſſa prouocauit Danos, Britannos, & Belgas ad opitulandum, & conſtituenda collegia miſſionis euangelicae. Siquidem qui SERENISSIMO DANIAE PRINCIPI, GEORGIO, ANNAE marito, a ſecretis fuit, LVDOLFVS, cum ipſe plures orientis, & ſeptentrionis tractus luſtraſſet, vt verbi diuini luce illuſtrentur

giengen in Gleiſnerey, und Scheinheilikeit herein, wolten vor andern geſehen, oder nach dem Exempel der Phariſeer etwas ſonderliches ſeyn, durch gute VVercke ſelig werden, und verachteten alle andere.

*** 1642.

tur, non deſtitit, quamdiu vixit, impenſe laborare. Sicut potentiſſimi Danorum REGIS auſpiciis factum eſt, vt inter Indos Malabarice editum euangelium poſſit vulgari: ita conſultum viſum eſt, vt Arabice idem legi poſſit latius, quam rara ſcripta, vel caro pretio redimenda exempla typis expreſſa, id fieri, paſſa ſunt. Suſcepit id negotii Anglicana SOCIETAS de propaganda fide CHRISTIANA, &, quantam potuit, pecuniae vim ad exſcribendum typis Arabicis N. T. Pſalmosque curauit colligi. Confirmauit eam in pio propoſito Gennadii, Archimandritae Alexandrini, Graece ſcripta epiſtola, quam eius nepos, Bartholomaeus Caſſanus, eſt interpretatus. Tantae autoritatis teſtificatio, & ſuffragatio cum ſatis doceret, quo ſtudio, & applauſu excepturi ſint orientis populi codicem ſacrum, eo modo Arabice editum, vt facile plurium manibus tradi, & latiſſime vulgari poſſet, conſilia certatim contulerunt de perficiendo inſtituto, qui populorum, litterarumque orientis vſum aliquem habuerunt: D. Brydges, archidiaconus Roffenſis, Samuel Lisle, Wadhamenſis collegii Oxoniae ſocius, Iohn Bennet, & reuerendus Boehmius, Guilielmus Ayerſt, Humphrey Prideaux, Edmundus Chishul, Georgius Levvis, ſacris legatorum, & proconſulum orientis aliquandiu perfuncti. Scriptarum ab his ad laudatam paullo ante SOCIETATEM epiſtolarum argumenta Anglice **** edita ſunt, quibus inſtituti ratio, ſpes ſucceſſus, adiumenta & impedimenta accurate excutiuntur, & diſerte repraeſentantur: quod praecipue facere inſtituit ciuis Damaſcenus, vir doctiſſimus, Salomo Negri: qui bis Halae Saxonum Arabicae linguae diſcendae cupidis fidelem ſe praebuit ducem, & magiſtrum, ex quo ante laudatus SECRETARIVS, Ludolfus, tales viros accerſendos, & ho-

**** An Extract of ſeueral lettres, London. 171[illegible].

Digitized by Google

horum opera academicae iuuentutis ſtudia excitanda eſſe ſtatuit. Ita, poſteaquam hic valetudinis cauſſa denuo e Germania receſſit, opportunus adfuit, ſucceſſitque Carolus Rali Dadichi, qui Gothae, Halae, & Lipſiae Arabicae, Syriacae, Graecaeque linguae vſum, modumque hodiernum demonſtrauit diſcentibus: cuius viri eruditiſſimi merita, & laudes celebratae ſunt ea tabula, ***** qua Wanslebii perfidia eſt notata; vbi ſimul eiusdem memorata eſt opera, quam in edendis Latine epiſtolis Arabicis Matthaei, Copticarum, & Habeſſinorum patriarchae, & Ioannis, archipresbyteri Alexandrini, ad PIVM ERNESTVM ſcriptis, praeſtitit. Glorioſum ſaltem videbatur PIO PRINCIPI, a tam claris exteris, B. IOBO LVDOLFO curante, appellari; ſed, fructuoſos Ludolforum conatus eſſe, ſatis conſtat, maxime quod ipſorum opera orientalium linguarum hodie adhuc vſitatarum ſtudium iuuentuti eſt commendatum: atque adeo nunc in ſcholis rectius praeparari poſſunt mittendi ad exteros euangelica veritate imbuendos. Admiranda eſt diuinae prouidentiae ratio: cum in fatis eſſet, vt a nationibus euangelicae veritatis ſtudioſis remoti interiores orientis, & ſeptentrionis tractus luſtrarentur, & potentiſſimus Ruſſorum IMPERATOR ciuili non modo cultu; ſed emendatiore ſacrorum ratione gentes ſibi obnoxias ornare, & componere vellet: ac, quod publice actorum ephemerides aperte loquuntur, palam iuberet liberam eſſe in ditione ſua euangelicae veritatis profeſſionem: non deeſſe oportuit aptum deſtinationi, & conuenientem tantae rei apparatum, ſubſidia, & adiumenta; nec deeſſe, qui de hoc eſſent ſoliciti tempeſtiue, aptosque praeclarae rei adminiſtros adſciſcerent in collegia, & ſocietates de PROPAGANDA FIDE CHRISTIANA, de CVRSV EVANGELII PRO-

***** Gothae 1718.

Digitized by Google

PROMOVENDO. Hoc pacto dum apud Britannos, Danosque concordi ſtudio rei Chriſtianae conſulitur, non apud Indos ſolum, vulgari lingua qui legitur, diuinorum oraculorum codex expedit EVANGELII curſum per quascunque obſtantes difficultates; ſed in Danici regni partibus omnibus remotioribus, etiam quae pene extra cultus humani ſpem reiectae viſae fuerunt, Lapponiae nimirum tractu, vulgantur copioſiſſime V. & N. T. codices ſacri, ac pia ſcripta Arndiana, Brochmandiana, & Ierſingiana, nec non religioſe canendi formulae. Cuius operis libros vltra centies quinquagies mille typis impreſſos, idque ſumtibus COLLEGII de curſu EVANGELII promouendo, non ita pridem affirmabat huius collegii ſocius, NOBILISSIMVS WENDIVS, dum hic Gothae verſabatur, vt locum, ſedemque inuiſeret, vbi dudum iſta pie deſtinata ſunt, & deliberata, quae tam cupide, & ſtrenue paſſim perficiuntur. Nec Suecos in patria otioſos fore in perſequendo inſtituto religioſo, quod exules inter Getas, Scythasque extremos cum ſucceſſu agitarunt, facile intelligitur. A POTENTISSIMI RVSSORVM IMPERATORIS auſpiciis quid expectandum ſit rei Chriſtianae, & EVANGELICAE inpoſterum, ex quo tanto conatu, & apparatu ſacrorum ratio habetur, vt non vltima imperatoriarum,& ſenatoriarum curarum illa res videatur? merito piorum inſtitutorum fautores ita circumſpiciunt, vt non detrectent, ſi poſſint,& muneris ratio patiatur, adiuuare, & coniunctis ſtudiis, conſiliisque expedire tam liberaliter patefactum EVANGELII curſum; maxime ex quo ſpes eſt, vt dudum intercluſae interiores orientis regiones indies pateſcant amplius: quo qui lucem EVANGELII inferre debeant, Ludolfinis inſtitutis, & ſolidis orientalis litteraturae praeſidiis inſtructos eſſe oportet. Atque adeo ſcholaſticorum virorum fides, pietasque

Digitized by Google

in eo ſpectari debere videtur, vt ad illa capeſſenda, diſcendasque fideliter litteras orientis, & tractanda non ſegniter diuina monumenta excitent, prouocent, & impellant, quae deprehendunt, erectiora ingenia. Neque hoc illis fraudi foret, etiamſi patria ipſis opus haberet; maxime ſacrarum litterarum ſtudioſis, quibus diuinae diſciplinae cognitio, & perueſtigatio interior cordi eſt, vix certius, & exploratius tentanda, quam in litteraturae orientalis curriculo non perfunctorie emetiendo. Huc qui ducunt ludimagiſtri obnoxios, doctos efficiunt theologos, & opportunos rei EVANGELICAE ad exteros, Indos, Getas, Scythasque perferendae adminiſtros. Sane quae res politicorum virorum plurium ſtudiis impenſis digna viſa fuit dudum, nec adhuc deſinere apparebit, ſi magni Berolinenſium litteratoris, Maturini Veyſſiere LA CROZE, de re CHRISTIANA orientali commentatio hiſtorica lucem videat: obeſſe non poteſt ſacrarum litterarum ſtudioſis; nec ab his temere eſt negligenda. Sicut, ad honorata principum miniſteria prouehendis non obſtare orientalis litteraturae peritiam, ſatis eſt demonſtratum: ita nec eadem proterue explodenda eſt ciuilis prudentiae ſtudioſis. Domeſtica LVDOLFORVM exempla ad rectiora tanto magis NOSTROS prouocare, fas eſt, quo, ILLVSTRIS, ET EXCELLENTISSIME DOMINE, TVA gratia, & liberalitate praeſto illis ſunt, quorum haeres factus es, reconditae orientalis litteraturae monumenta, dignusque iuuentutis ſolertioris cura, & ſtudiis theſaurus TVVS domeſticus LVDOLFINVS. Ad quem inſpiciendum, vſurpandumque dum admiſiſti filios meos, effeciſtique, vt poſt fata fructuoſus ſit ſocer TVVS, B IOBVS LVDOLFVS, patere, vt in ILLVSTRI TVO nomine extet, quo illius manes honeſtati ſunt, filii mei ſermo panegyricus, & vt publice conſtet,

Digitized by Google

ſtet, TE beneficium non collocaſſe in ingratos. Tanto magis BEATVS poſt fata erit fructuoſus, quo extantior confieri poteſt, & crebrior exempli eius commemoratio, opponique iſtud fortius profanis ſanctioris litteraturae contemtoribus. Sicut ILLVSTRI domui TVAE, & poſteris generoſis glorioſa eſt LVDOLFINI nominis mentio: ita auitae pietatis fructu, & ſucceſſibus vt non deſinant illi florere, ex animo precor. Dabam Gothae cIↃ IↃCCXXIII. IAN. XXV.

ILLVSTRIS, ET EXCELLENTISSIMI
NOMINIS TVI

cultor obſeruantiſſimus,

GOTHOFREDVS VOCKERODT,

ILL. Gymnaſii Gothani Rector.

Digitized by Google

SERMO PANEGYRICVS.

A. O. O. H.

ORientis litterae ſtudiisne noſtrorum temporum, hominumque dignae ſint, ac ſacra, vel ciuilia reipublicae munera ornaturis vtiles, nec non accommodatae praeſentis tempeſtatis caſibus, dubitare non ſinunt linguarum orientalium plerarumque veneranda antiquitas, Hebraeae origo diuina, Syrae, & Arabicae vſus hodiernus, atque huius ampliſſimus, maximeque opportunus euentibus: quos non portendunt ex longinquo; ſed parturiunt praeſentia tempora, foeta ſeminibus ſatorum dudum conceptis, & ſingulari prouidentia nunc erumpere viſis. Certe Hebraea lingua non poteſt non eſſe commendata, clericis non ſolum, & ſacerdotibus viris, ſcholaſticiſque hominibus, quibus ſanctioris litteraturae profeſſio ſuſtinenda eſt, & ornanda ſolidioris ſcientiae opinione; ſed quibuscunque diuina cordi ſunt oracula, quoſque pudet ignorare, quibus ipſi citantur, nominum notiones. Qui cum ceterum ſapere videri velint, & ſcire rerum omnium primordia, turpe ſibi putabunt, Ioannes, Gabrieles, Michaeles, Abrahamos, Iſaacos, Iacobos appellari, & requirere ab aliis, quid notent, deſignentque iſta nomina: vt taceam, quam illuſtret Hebraeorum litteratura eruditas antiquitates vniuerſas, veterum populorum origines, facta, & fata? quantam lucem accendat iuris diſciplinae ſolidiori, cultiorique, qua non mo-

do

Digitized by Google

do leges, & forma iudiciorum Romanorum, & canonum autoritas inculcatur; ſed iuſti, rectique rationes altius, & ex naturali aequitate, gentiumque more, & conſuetudine ducuntur? Quod ſi aliis temporibus obſcurum fuit, noſtra ſane aetate ſummi litteratores, qui eruditae vetuſtatis arbitri cenſeri voluerunt, Ioſephus Scaliger, Caſaubonus, Salmaſius, nec non emendatioris iurisprudentiae autores, aſſertoreſque praecipui, Grotius, & Seldenus, Hebraice fuere doctiſſimi. Linguam Syram, Chaldaicamque, a ſe inuicem non adeo, niſi dum pronunciantur, differentes, non facile negliget, qui integrum codicem ſacrum ipſis linguis, quibus initio ſcriptus eſt, ſibi cupit repraeſentari, vtpote cuius non contemnenda pars Chaldaice legitur. Syrorum ſermone ſine dubio vſus eſt Chriſtus, quamdiu verſatus eſt in terris, & quanquam, quae dixit, fecit, & pro nobis paſſus eſt, populari tunc magis, & latius intelligibili, vulgatoque per orbem terrarum cum Graecorum imperio ſermone Graeco fuiſſent deſcribenda: antiquiſſima tamen Syrorum interpretatio intelligi meretur: quia quos Aſia habet Chriſti cultores, & quae apud extremos Indos Chriſtianorum coetuum reliquiae adhuc perſtant, iſtum codicem vnicum fidei ſuae celebrant inſtrumentum. Non incorruptum eſſe orientalium illorum populorum de diuinis myſteriis ſenſum, vulgo creditur: ſed nec ſanari poteſt ille morbus, & deprauatae fidei labes aboleri, niſi, quos ab errore reuocare velis, horum intellexeris religioſa documenta. Arabica lingua, niſi dudum popularibus noſtris fuiſſet cognita, nec philoſophari, nec medicinam factitare didiciſſent maiores noſtri. Diu ante enim Ariſtoteles, eiusque interpretes Arabes cum medicae artis autoribus Arabice lecti, & intellecti ſunt, quam Graeca eorum monumenta licuit inſpicere. Nec diuina veritas a Muhammedicis corruptelis ſatis confidenter vindicari poteſt, niſi impoſtoris lingua fuerit perſpectiſſima: cuius ſtatuta fruſtra oppugnare auſi ſunt, qui ante Ludouicum Maraccium, huius praeſidiis, & armis domeſticis deſtituti, id facere inſtituerunt. Quid Arabum monumenta lucis afferant omni ſcientiarum, & artium generi, aperit Herbelotii Bibliotheca orientalis ante hos viginti quinque annos Pariſiis publicata. Certe ſine Arabicae linguae cognitione, & vſu nec peregrinari quis auſit in florentiſſimis orbis terrarum partibus, pleriſque Africae, & Aſiae tractibus, nec agitare commercia, nec illis conſulere, qui inter idolorum cultores lumina adhuc mundi, & ſal terrae ſunt, videlicet Muhamme-

Digitized by Google

dicis placitis addictis, & Alcorani autoritatem ſectantibus pertinaciſſime. Taceo academias Arabum florentiſſimas, viriſque in omni ſcientiae, & litterarum genere verſatis inſtructiſſimas, Marocum, Feſſam, Septam, Hubeddam, Oraniam, Bugiam, Conſtantinam, Tunetum, Tripolin, Sigilmeſſam, Alexandriam, Alcahiram, aliaſque Africae ſapientiae officinas, & quales Aſia antidhac vidit, Cufam, & Baſoram, in quibus multa millia fuere ſtudioſorum, & doctrinae fama, litterataeque induſtriae ſpeciminibus clarorum virorum. Intactam illi vix vllam ſcientiam, aut doctrinae genus reliquerunt, quod non illuſtrauerint ingenii monumentis. Vnam bibliothecam Feſſanam triginta duo millia voluminum Arabicorum exhibere viſentibus, Erpenius autor eſt. Quorum pauca admodum Latine reddita ſunt, ex quo interpretando Auerroi, & Auicennae Armigandus Blaſius manum iniecit, Abenmeſues, Serapionis, Albumaſaris, Abenzoaris, Albukaſis, Hali, Iſaaci, Durerigiureri, Hakimlukmanni, Raſis medica ſcripta: cum tamen & reliqua Arabum monumenta, quibus paullo ante laudata Herbelotiana bibliotheca abundat, non minus Europaeorum ſtudiis digna cenſenda ſint; ſiquidem hi orientales, auſtraleſque populos, in ſuperſtitionem, & barbaram impietatem lapſos, non mallent regere, quam corrigere: atque horum aurum, & deliciae non magis cordi eſſent, quam ſalutis procuratio, & huic conueniens emendatio morum, ac, qua haec continetur, veri, rectique diſciplina. Quod cum vnice propoſitum eſſet beatiſſimo huius patriae PATRI, PIO ERNESTO, nihil *optimo* PRINCIPI optatius potuit contingere, quam natus, & aptus ad recta, & ſolida ſtudia, reconditaſque orientalium, auſtraliumque nationum litteras peruestigandas miniſter, B. IOBVS LVDOLFVS. Cuius illuſtre exemplum, & inſtituta, monumentaque litteraria laudatiſſima cum ſatis doceant, nec orientali litteraturae dicatam operam impenſiorem obeſſe iuris, & ciuilium rerum ſtudioſis hominibus, nec ad honorata miniſteria minus habiles reddere ſacrarum, & orientalium linguarum cognitionem, poſt iactata a commilitonibus meis Reuchlini, & Widmanſtadii de ſanctioribus his litteris merita, minus alienum erit ab inſtituto publico, quo ad rectiora ſtudia poſt ferias cereales ſub initium laborum ſcholaſticorum excitanda eſt iuuentus, ſermonis de BEATO LVDOLFO argumentum. Hunc inter orientalis litteraturae aſſertores tacere, eiuſque merita ſumma diſſimulare, nec pietas patitur, nec ſinit reuerentia in generum ILLVSTREM, & excellentiſſimum, AVEMANNVM;

Digitized by Google

NVM: cuius beneficio deſideratiſſimus LVDOLFVS poſt fata prodeſt patriae, dum liberaliſſime ille, quorum haeres factus eſt, reconditae litteraturae LVDOLFINAE monumenta, & ſubſidia cum ſtudioſis orientalium litterarum communicat. Quorum nomine IPSVM, nobiliſſimumque, & ſummae ſpei filium, B. LVDOLFI ex vnica, litteratiſſimaque filia nepotem ne pigeat idem facere in poſterum, publice praeſentes rogantur obſeruantisſime. Neque enim ſummae dignationis vir, ILLVSTRIS AVEMANNVS, vel ingraueſcentis aetatis, vel vlla alia incommoda a ſolennibus comitiis ſcholaſticis abſtrahi ſe vnquam patitur, vel deſinit aperte fauere ſtudiis rectioribus, & haec ſua autoritate palam comprobare. Non ergo eſt dubitandum, ab ipſius modeſtia me impetraturum, vt mihi liceat de BEATO eius ſocero coram IPSO dicere, & tanto magis paratam veniam fore infantiae meae apud omnes auditores in hac ILLVSTRI panegyri, ſi, quanta fuerit LVDOLFINI ingenii, ſtudiorum, & meritorum magnitudo, nec aſſequi ſatis ingenio, nec verbis exprimere digne, nec conuenienter coram tantae dignationis, & autoritatis auditoribus potuero repraeſentare. Quod vt mihi contingat, rogo ſubmiſſe, & obſeruantiſſime.

BEATVS itaque IOBVS LVDOLFVS, litteratorum orientalium, quos noſtra, & maiorum aetas vidit. maximus, & vnicus linguae, & hiſtoriae Habeſſinorum inſtaurator, & explanator felicisſimus, ac cum humanis rebus, honoribuſque ſua virtute, & meritis partis valediceret, SERENISSIMORVM ELECTORVM, DVCVMque SAXONIAE conſiliarius intimus, collegiique imperialis hiſtorici praeſes, tantae gloriae, & dignitati conuenientia nactus eſt primordia, illuſtrem naſcendi conditionem, & ad auitae virtutis, & dignitatis laudem adoleſcendi opportunitates omnes, LVDOLFINAM gentem, per aliquot ſecula claram, illuſtratamque cognatorum, & affinium Heydenreichiorum noſtrorum, Ilgeniorum Marchicorum, & communis maternae ſtirpis Weſeneriorum, ſiue Gebhardorum de Waſenaër, adhuc inter Belgas florentis nobilis familiae celebritate: quam NOSTRI ſtudia, & merita admiranda, & ab orbe litterario dudum ſummo applauſu excepta non minus decorant, quam ipſe ab auitis decoratur imaginibus. Excitatus ad illa eſt mature domeſtico patris ſibi cognominis exemplo, Quatuoruiri reipublicae Erfurtenſis; quem qui familiarius nouerunt, teſtati ſunt, virum fuiſſe ſua ſponte bonum, propoſiti ſui, virtutiſque priſcae tenacem, laboris, ac fidei capacisſimum,

Digitized by Google

mum, & aliorum, vel cum rei ſuae familiaris detrimento, adiutorem. Generoſum autem illum animum audendi aliquid pro religione, & capeſſendi impetum lucis, & veritatis euangelicae, cum PIO principe, ERNESTO, ornandae, & propagandae inter exteros, & efferendae, ſi tunc fieri potuiſſet, ad remotos populos auſtrales, Habesſinios, ac pro ſancto hoc ſtudio repudiandi opportunitates, & commoda, quae honorata aularum miniſteria ſolent afferre, inſpirarunt maternae originis auitae imagines, & exempla Waſenariorum, & Bobenzahniorum domeſtica, qui ſaeuitia Hiſpanorum exagitati patriam Belgicam, & patrimonia lautiſſima relinquere, quam veritatis Euangelicae profeſſionem abiicere maluerunt. Dei autem, hanc pietatem remuneraturi,prouidentia ſingulari factum eſt, vt, quibus piorum exulum filiae ſponſae contingerent, effloreſcerent in Thuringorum metropoli, Erfurto; harumque mariti, & poſteri opibus, & dignitatibus aucti in patria exſplendeſcerent prae aliis mirifice, ac pro auitis praediis Belgicis, religionis cauſſa amiſſis, Thuringicorum praediorum, & Erfurtenſium palatiorum exiſterent domini. Ita cum maiorum LVDOLFINORVM, maternae, Brandianaeque originis, aedes magnificae adhuc ſplendeant, altera ſub ſerui ſuperbi nomine, & inſignibus: quae PROPRINCIPIS Moguntini domicilium nunc eſt: altera amphora vinaria inſignita: proauus NOSTRI, Bobenzahniae Belgicae maritus, Ioannes Leutholf, aedilis primarius, ſplendidam domum lilii eminentis condidit; auus autem, aerarii publici praefectus, Ioannes, qui primus Leutholf in Ludolfi nomen mutauit, Annae VVaſenariae, exulis filiae, *maritus* fuit. Talibus orto maioribus mature, ritu magnorum ingeniorum, confligandum fuit rebus aſperis, & dura iuuentutis initia eum habere oportuit, vt duraretur ad ſuſtinendos varios caſus, & rerum diſcrimina, quae ei olim domi,foriſque, in variis, longiſque itineribus, eſſent perferenda. Ita bimulus imminente peſtilentiae vrgetur periculo, cogiturque patrios lares relinquere, & tantiſper in vicino vico Elxlebia cum parentibus exulare. Dura haec primae aetatis initia aſperauit, & periculoſae plena aleae effecit ſcholae ad Praedicatores non modo, in quam admodum puer quinto aetatis anno traditus eſt; ſed & Gymnaſii, inter cuius alumnos adoleſcens eſt cooptatus, labes inſignis, & dominans vbique boni moris offenſio, & perturbatio diſciplinae ſumma. Cui cum ſubducendum tempeſtiue ratis piis parentibus occurrit Karnradius quidam, notam, ſpeciemque non falſam frugalitatis prae ſe ferens;
ſed

Digitized by Google

ſed adoleſcentis ingenio minime ſufficiens, vtpote cuius inquirendi, requirendique interiores propoſitarum ſententiarum rationes ſtudio exagitari ille ſecredens, diſcipulum, patronique lares reliquit. Iactatus itaque varie vitio inſtitutorum male conſultorum, & tanquam ex Scylla in Charybdin ablatus, tempeſtiue tamen, ætatis anno vndecimo nondum elapſo, portum quaſi, & perfugium inuenit in pii, & eruditi theologi, Bartholomaei Elſneri, magiſterio, contubernioque clari poſtea viri, illuſtris, & excellentiſſimi Viti Ludouici a Seckendorf: quos ita deuinxit ille condiſcipulatus, vt in aula SERENISSIMI DVCIS, PII ERNESTI, cum vtrique eſſet pro rectis ſtudiis pugnandum, laborandumque, ſuam pulchre induſtriam coniungerent, coniurarentque amice. Acceſſit humanioris litteraturae autoris, & magiſtri idonei, Ioannis Ilgenii, eccleſiae dein ad D. Michaelem paſtoris Erfurtenſis, induſtria, qua ſubactum, & praeparatum ſatis ad altiora cum videretur adoleſcentis Ludolfi ingenium, cum conſobrino, eodemque contubernali, Iacobo Heinrico Heydenreichio, conſiliario poſtea aulico, & Protoſynedrii, quod Gothae floret, praeſide, in numerum Erfurtenſium academicorum refertur. Hic Rehefeldium, artis medicae elementa tradentem, Sennertique phyſicam, & Corbeii pathologiam explicantem audiuit, non temere ratus, expertem eſſe non oportere magnum litteratorem: cuius ſpecies, & laus puero placuit: vt notitiae ſui, ita naturae vniuerſae, & omnium, quibus medicina continetur, rerum, quae ex terrae viſceribus erui poſſunt, ex hac pullulant, & ſuper hac mouentur, & conſpiciuntur per ſoli, ſali, polique ſpatia, quouſque haec patent: ac ideo medicos fuiſſe veteres non minus ſapientes pleroſque, & ſummos polyhiſtoras, Democritum, Heraclitum, Ariſtotelem, quam noſtro aeuo doctrina inſignes, &, vt exteros taceam, in Germania ſatis ſpectatos viros, Conringios, Meibomios, Morhofios: idque ideo cum animus fultura corporis ſuſtineatur, ne huius conſeruandi, vel ſanandi ratio ignorata fraudi ſit viuendi ſpatio, vel ſapiendi modo, ac ne corpori noceat, vitalemque ſpiritum hauriat citius nimia animi agitatio, in quam aufferri facile alias ſolet bonae mentis cura, culturaque impenſior: cui B. LVDOLFVS noſter per omnem aetatem ſpectatus fuit addictiſſimus. Hoc pacto ille rite praeparatus, & munitus aduerſus corporis etiam, & valetudinis offenſiones, cum pius Elſnerus praeter ſanctiora inſtituta domeſtica religioſa docendi, & linguas, litteraſque ſacras inculcandi ratione ingenii, animique intemperiei interceſſiſſet, cauiſſetque, ne pro magno littera-

C tore

Digitized by Google

tore NOSTER: quod profanis contingit: magnus fieret ardelio, tanto tutius, & confidentius verſari potuit in ſtudiorum curriculo, & huius ſpatia omnia ſine inſigni corporis, animique offenſione, & labe feliciter emetiri. Ingreſſus igitur iuris, & ciuilis prudentiae ſtudium, idque Erfurtenſis academiae profeſſore publico, Ioanne Mullero, duce, & magiſtro, adiutusque in eo natu maioris fratris ductu, hortatuque priuato, ſubciſiuas horas, quas profana iuuentus ludicris tribuit oblectamentis, vel otiando transmittit, Elſnero ſuo duce, & arbitro impendit NOSTER linguis orientalibus diſcendis, easque tanta animi contentione eſt proſecutus, vt Hebraicae, Chaldaicae, Samaritanae, Syriacae, Arabicaeque fundamenta vnius anni ſpatio ita complecteretur, vt diſcipulus facile ſuperaret magiſtrum, atque LVDOLFVS noſter Æthiopicam, tunc non minus pio theologo, Elſnero, quam omnibus aliis Germaniae eruditis viris ignoratam, linguam eodem animi impetu inuaderet, cum a Gerhardo accepiſſet codicem Æthiopicum manuſcriptum, atque ad hanc linguam excolendam autoritate, & ſtudio D. Kammani, Brunſuicenſis reipublicae ſyndici, linguarum orientalium maxime ſtudioſi viri, excitaretur, & ſcriptis huius litteris in propoſito confirmaretur. Non obfuiſſe Ludolfo Noſtro ſanctiorum iſtarum, & reconditarum litterarum ſtudium, ingeniumque eius ad ciuilem eloquentiam, vel prudentiam inhabile reddidiſſe, patuit, ex quo de roſtris academicis vel perorans, vel de iure diſputans auditus eſt. Cum applauſu diſputauit de fictione iuris publice, praeſide ſupra laudato Mullero: *vbi* ad oppoſita ſibi argumenta a D. Beuchlingio, canonico poſtea Martisburgenſi, & Vito Ludouico a Seckendorf ſcite, & erudite reſpondit non ſine vniuerſae academiae admiratione. Eadem conſecuta eſt ad Batauos excurrentem, & Lugduni verſantem: cuius academiae doctoribus, ex quo inter eius ciues cooptatus eſt B. LVDOLFVS a rectore, Ioanne Pylandro, ita eum commendauit Latini ſermonis integritas, & elegantia, vt admitterent ad interiorem notitiam iuuenem tunc eruditum non ipſi ſolum profeſſores academici, & inter hos praecipue Ioannes Erpenius, Thomae filius: a quo multa NOSTER de ſtatu, rebusque patriis edoctus eſt: ſed & hoſpites clariores, maxime Graecae nationis, qui tunc Lugduni erant, Nathanael Hieronomachus, protoſyncellus eccleſiae Conſtantinopolitanae, Meletius, Archiepiſcopus quondam Epheſinus, & Hierotheus, Abbas ex inſula Cephalonia. Quorum familiari conſuetudine cum vti poſſet, facile Graecae linguae, hodiernae etiam, rationem,

&

Digitized by Google

& vſitatum nunc pronunciandi modum potuit perdiſcere. Inceptam in patria feliciter litteraturam orientalem curatius ibi excolendi opportuni praeſto erant magiſtri, Conſtantinus L'Empereur, Iacobus Golius, & Nicolaus Peterſohnius, Maronita, ex Aleppo, Syriae vrbe, oriundus; nec non ſubſidia, & adiumenta commodiſſima, codices manuſcripti, a Daniele Heinſio ex bibliotheca Lugdunenſi ſuppeditati. In talium ſtudiorum curriculo, & loco illuſtri verſante B. LVDOLFO adhuc iuuene non erat mirum, conuerſos in eum oculos virorum etiam ſummorum, & doctiſſimorum, ac inter hos Claudii Salmaſii, quanti litteratoris, & quanti contemtoris aliorum? Fortunae autem B. LVDOLFI optime conſuluit Conſtantinus L'Empereur, dum nobili, & diuiti adoleſcenti, Ioanni de Thys, gubernando eum, vt ſui praeficerent, curauit; & hoc pacto impetrauit, vt NOSTER ſine ſuo ſumtu poſſet peregrinari, Germaniam, Gallias, atque Britanniam peragrare, & innoteſcere in itinere ſummis viris, Ioanni comiti ab Oxenſtirn, Petro du Boſc, ſupremo per vniuerſum regnum ſacrorum antiſtiti, Puteanis, bibliothecae regiae Gallicanae praefectis, Claudio Sarrauio, curiae ſupremae ſenatori, Drelincurtio, Heilmanno, Capello, Benedicto, ac Samueli Bocharto: cui mirifice placuit B. LVDOLFVS, quod linguae Aethiopicae beneficio, cuius ille non peritus fuit, ſuppeditare illi poſſet deſiderata. Lutetiae Pariſiorum tunc opera fratris, Georgii Heinrici, conciliatus eſt ſereniſſimo principi, Adolpho Ioanni, comiti palatino ad Rhenum, Caroli Guſtaui, regis poſtea, fratri, eiusque itineris ſociis, comiti a Steinberg, Ioanni Wachmeiſtero, vigiliarum praefecto, & aliis multis. Nec negligendam duxit virtutis, & eruditionis fama tunc clareſcentem, nobilem virginem, Annam Mariam Schurmanniam: ad quam viſendam, Traiecti ad Rhenum tunc verſantem, cum ex itinere Lugduno reddito Monaſterium, vbi facta inter Hiſpanos, & Batauos pax confirmabatur, excurrendum illi fuiſſet, non dubitauit accedere; nec exceptus, dimiſſusque eſt ab illa ſine teſtificatione ſingularis in doctisſimum iuuenem beneuolentiae, vtpote cui permiſit, ſua vti bibliotheca per aliquot dies, abeuntique imaginem ſuam aere expreſſam donauit. Reuocatus autem a fratre in Gallias, & Roſenhanio, Sueciae reginae, Chriſtinae, apud Gallos oratori, NOSTER conciliatus nouam nactus eſt in Italia peregrinandi, & Romam viſendi, idque regiis ſumtibus, occaſionem. Scilicet perſuaſum fuerat reginae, vetuſtisſima regni Sueciae documenta Romae reperiri: ad quae inueſtiganda nemo B. LVDOLFO magis idoneus viſus eſt

legato Suecico. Quae quamuis fruſtra ibi requireret NOSTER, ſingulari ita adgubernante prouidentia Italicas vrbes non modo; ſed quod ipſi per omnem vitam cordi fuit, Habesſinorum quatuor, videlicet Haptam Mariam, Tenſeam Chriſton, Antonium d'Andrade, & his doctiorem Gregorium Abbatem noſcendi, & linguae, rerumque Habesſiniarum ex iis percipiendarum nactus eſt commodisſimam, & optatisſimam occaſionem. Aegre itaque ex horum ſinu & complexu abiit Lutetiam redire iuſſus a legato. Cui quamuis non ſatis feciſſet NOSTER nec deſtinata potuiſſet perficere: viſus tamen eſt vnus filiis ipſius gubernandis aptus, & idoneus: quem in Sueciam a Regina reuocatus non dubitauit eo adducere, quamuis exterum. Hic quamuis B. LVDOLFO ex voto omnia euenire viderentur, ac herili familiae eſſet commendatisſimus, viris eruditis omnibus, ciuibus & exteris, qui tunc in Suecia Reginae, litteratorum fautricis, cauſſa verſabantur, carus, & acceptus, Freinshemio maxime, Stiernhilmio, Heinſio, Voſſio, Tranſaeo, Weydenhanio Erfurtenſi, nobilitate in Suecia donato, Silberſparrio, Wallio, Brömſenio, Böcklero quoque, & Klingio; nec illi deeſſet, quod in tanta eruditisſimorum hominum conſuetudine animum oblectare, & recreare oculos poſſet, dum patebant NOSTRO ſpectanda, & fruenda, quae Suecia viſu iucunda habet: vbi tunc officinae diducendo in fila ferro, cuproque inſtituebantur a Batauo, Ludouico de Guere: nec non regina Chriſtina exquiſitisſimis initiabatur cerimoniis, ciuesque ſubiecti recipiebantur in fidem non ſine ambitioſo ſolennis pompae apparatu: quem ludi etiam equeſtres illuſtrabant: nec negaretur illi fodinas metallicas, per Europam omnem celebratisſimas, curioſis oculis perluſtrare: & quamuis in glorioſi regis, Guſtaui Adolphi, rebus geſtis Latine ſtylo, & filo Itali, Maluezzi, repraeſentandis, atque adeo in aditu, & apparatu enitendi ad fortunae, dignitatisque ſtudiis ſuis aptae gradum non contemnendum verſaretur: facile tamen omnes iſtas opportunitates, ſpesque maximas abiecit, ex quo litteras Roma ab Habesſino Gregorio accepit, ex quibus cognouit, Gregorium in Germaniam proficiſci conſtituiſſe. Potiora B. LVDOLFO videbantur induſtriae auctoramenta, antiquisſimi populi Chriſtiani, dudum ab orbe quaſi noſtro, & communione remoti notitia, ſermonis huius peregrini commercia, & horum beneficio ſperanda inter extremas Auſtri nationes lucis, veritatisque euangelicae propagatio. Quae cum PIO ERNESTO Gothano cordi fore perſuaſus eſſet, ad hunc properare ſtatuit, & pro Succiae regno Gotham ſibi fortunae ſedem elegit.

Digitized by Google

elegit. Quod dum facit, regium oratorem. Biöckenklau, qui tum Viennam a regina ad aulam Caeſaris mittebatur, itineris ſocium habuit, ac Hafniae innoteſcit legato Hiſpanico, comiti de Robelledo, nec non litteratiſſimis viris, Bartholino, Scauenio, Wormio. Quorum vſus conſuetudine ad arcem Gottorfenſem ſe contulit: vbi bibliotheca perluſtrata, technophylacioque rediit ad ſuos Erfurtum: & hic pio perfunctus eſt officio, cum beate defuncto patri iuſta ſoluenda eſſent. Quod bono viro antea contigit, quam deſtinatum opus Domini perficiendum cum pio principe, ERNESTO Gothano, aggrederetur, ne pro regno Dei amplificando laborantem vlla mortuorum ſepeliendorum cura moraretur. Deſideratisſimus igitur adeſt B. LVDOLFVS PIO ERNESTO, ac ab hoc clementisſime excipitur. Ornandus lauto clientelarium rerum procurandarum munere, Secretarii nomine, & honore, inuenit, quem pro ſe ornandum commendaret: expectatus Gregorius Habesſinius omni honore, & munere B. LVDOLFO magis cordi fuit. Mittendus in Gallias legatus vix tanto honori ſe ſubducere ſummi Principis integra voluntate, & gratia poſſe videbatur B. LVDOLFVS: ſed aduentans tunc Gregorius Habesſinius non B. LVDOLFO modo; ſed ipſi PIO ERNESTO ardua magis, quam alia vlla cauſſa viſa eſt, quae politicorum, clericorumque miniſtrorum coniunctis curis ſenatoriis, & ad has euocatis Ienenſis academiae quibusdam profeſſoribus agitaretur religioſisſime, ac cui intereſſet, tunc ſuperſtes, natu maximus iuuentutis princeps, tanquam mature ad digna principibus negotia, B. LVDOLFO duce, & auſpice adhibendus, & peregrini hominis Chriſtiani adſpectu, & vſu excitandus ad recta, & religioſa ſtudia, quibus Chriſtiana veritas olim, ſi aetas, & occaſio ſinerent, tuenda eſſet, & inter exteros propaganda. Talia ſtudia, & conſilia cum feruerent in aula, & curiis Erneſtinis, & PII PRINCIPIS magnae tunc autoritatis miniſter, Seckendorfius, non deſiſteret in eo laborare, vt LVDOLFVS ſuus, quem Erfurti in pueritiae ludo nouerat, quemque academicorum ſtudiorum ſocium, aemulumque habuerat, ſuo ſeruiret ERNESTO, & ſecum ſummo, & optimo principi piorum inſtitutorum, & religioſe deſtinatorum eſſet adminiſter, arbiter, & quod pro ingenio, & ſtudiorum apparatu, vſuque poterat B. LVDOLFVS, multorum autor, & architectus: vix dici poteſt, quantis ſucceſsibus effloruerit principatus Erneſtinus? quam felix fuerit patria? quam beata Gotha, nacta cum PIO PRINCIPE tam ſimiles, tam fideles, tam induſtrios, tam ſapientes ſalutarium inſtitutorum, ciuilium, eccleſiaſticorum,

Digitized by Google

ſcholaſticorumque autores, & aſſertores? Admiratus eſt eruditus exterus Gregorius, a tanta fortuna, & potentia: quam regiae ſimilem, ex quo coepit cognoſcere, audacter pronunciauit: exulare omnem licentiam, & vanitatem; nec aulam, curiasque Erneſtinas aliis, quam ſeriis, quam piis, & ſalutaribus negotiis diſtringi. Nec minus admiranda, & veneranda exteris, poſterisque omnibus videbitur cum Seckendorfii pietate LVDOLFINA virtus, doctrina & induſtria, quibus parta ſunt illa patriae ornamenta, cum amice illi coniurarent, & ſua conſilia coniungerent. Quibus cum apud PIVM ERNESTVM locus, honorque eſſet, non deerant vnquam, qui domi, forisque pro Principe, & patria res, cauſſasque omnes recte, vtiliter, & glorioſe adminiſtrarent. Ita Seckendorfius cui nil, niſi pia, & ſacra, cordi videbatur, in ciuilibus luxit curiis, & rerum actu, vbi dignus vindice nodus eſſet; LVDOLFVS NOSTER, qui imperitis, & profanis propter orientalis litteraturae ſummam peritiam ad ciuilia negotia inhabilis videri potuiſſet, ita floruit, exſplenduitque in comitiis, & legatorum conuentibus, vt non PIVS ſolum ERNESTVS, & SERENISSIMI poſteri, FRIDERICVS filius, & FRIDERICVS nepos, patriae pater noſter clementiſſimus; ſed ſummi Germaniae principes alii, Elector Saxoniae, & Palatinus inſigni hoc litteratore, IOBO videlicet LVDOLFO, vterentur legato. Vel ſummatim memorare velle ſpectatae in tali rerum actu beati viri ſapientiae documenta, ſcholaſtici ſermonis modum ſupergrederetur. Adeo autem abuti audientium patientia non auſim, etiamſi in B. LVDOLFI memoriam, quam poſſim, pius eſſe velim. Non ex roſtris ſcholaſticis enunciari poſſunt, quae annalium modum implerent. Diſſimulanda tamen non ſunt coram hac panegyri ſcholaſtica opera, & merita B. viri litteraria, quibus adornandis, perficiendisque aptum, commodumque ſeceſſum Francofurti ad Moenum inuenire ſe poſſe credidit: ſicut B. Seckendorfius in ſuo oppido, Meuſelwitzio, ſimile inſtitutum eſt perſecutus. At vero tanto magis admiranda ſunt LVDOLFINI ingenii illa monumenta, quod edi, & proferri in lucem potuerint, cum non deſiſterent ſummi principes ad B. LVDOLFVM confugere, & vel conſulendo, vel mandando reipublicae negotia ardua curas interpellare litterarias. Et ſunt tamen edita, Hiſtoria Æthiopica, & ad eandem adornatus Commentarius, Lexicon Æthiopicum, & Amharicum, Grammatica Æthiopica, & Amharica, ac denique magnae molis opus, Theatrum hiſtoricum rerum ſeculo decimo ſeptimo geſtarum.

Nec

Digitized by Google

Nec tacenda eſt opera, quam in procurandis, & adornandis rectioribus ſcholae Gothanae inſtitutis, & diſciplina curatiore cum Seckendorfio, aliisque bonis, & ſalutis iuuentutis ſtudioſis viris impendit. Inter haec certe ſchola Latinitatis, a plurium manibus profectum opus: quod Seckendorfio vulgo tribuitur: a vitae B. LVDOLFI ſcriptore, B. Iunckero, huic viro dicatur: quod ſine dubio tanta, & tam impenſa in libello iſto conficiendo ſpectata eſt B. LVDOLFI induſtria, quanta in ſuadendo Seckendorfii fuerat autoritas, & in adiuuando ſolertia. Suae pueritiae damno edoctus NOSTER noluit deeſſe iuuentuti in ſcholis docendae; nec defuit per omnem aetatem, ſemper, vbi occaſio eſſet, docentibus ſalutaria ſuadendo, praecipue facilem illam, & compendiariam plures linguas diſcendi rationem, videlicet beneficio N. T. ſi quidem illo ſermonis genere, quem diſcere quis geſtiat, expreſſum poſſit reperiri. Qua docendi ratione in ILLVSTREM hanc ſcholam tanto autore dudum introducta, & vſitata, dum me, meoſque commilitones cum ſucceſſu vſos memini, vel ideo BEATVS ille vir a nobis omnibus praedicandus, & poſt fata venerandus videbitur. Quod dum publice nunc facere mihi, A. O. O. H. licuit, pium ſupereſt officium, beneficii videlicet, & clementiae documenta, quae a teneris vnguiculis ad hunc diem ſub SERENISSIMI PATRIAE PATRIS auſpiciis expertus ſum, cum tot, tantaque, tamque illuſtria ſint, vt ne verbis exprimere, & pro dignitate celebrare queam, vtcunque attingere. Debentur igitur gratiae D. T. O. M. quod vota quae pro incolumitate PRINCIPIS omnes mecum ciues ſuſceperunt, rata adhuc eſſe voluerit. Seruet in poſterum ſalutis publicae praeſidium, & dulce decus, SERENISSIMVM PATRIAE PATREM, faueat conſiliis eius, omnibusque conatibus optatos largiatur ſucceſſus! foueat illuſtris huius ſcholae nutritorem, vt fouere, & recreare poſſit pios doctores, qui in curando grege agnorum Chriſti, in tuenda ſalute publica, & poſteritatis, in ornando populo futuro fideliter laborare non grauantur! Iubeat florere SERENISSIMAM PATRIAE MATREM, matrem tantorum vtriusque ſexus pignorum cariſſimorum, tribuat ipſi vitam longam, ſanam, beatam! SERENISSIMIS PRINCIPIBVS, FRIDERICO, terrarum virtutumque auitarum haeredi, & GVILIELMO fratri iniiciat mentem, vt libentes, lubentesque ad omne principalis laudis, virtutisque decus, via, qua coeperunt, antiqua, & recta nitantur, pergantque, ac artibus inhaerentes imperatoriis, ad rerum humanarum faſtigia, ad quae nati, apti fiant, habilesque!

Digitized by Google

reliquis quoque SERENISSIMIS FRATRIBVS copiam creſcendi, & adoleſcendi ad idem domeſticae virtutis, laudisque decus impertiat ! In omni denique SERENISSIMA ERNESTINA ſtirpe, atque PRINCIPALIS FAMILIAE FRIDENSTEINIAE propagine vigeat ERNESTI PII pietas, FRIDERICI I. clementia, animique magnitudo ! Sed quid vobis debeam, qui principalium eſtis onerum adiutores, ſubſidia, ac fulcra reipublicae, eccleſiaeque, illuſtres, & nobiliſſimi, nec non ſumme reuerendi patroni ! Veſtra tanta ſunt in me patrocinia, meritaque, vt nullo modo rependere ea me poſſe videam. Referat vobis Deus clementiſſimus ! remuneretur hanc veſtram pietatem cumulatiſſime ! Debentur gratiae vobis, praeceptores ampliſſimi, doctiſſimique, quod pro commodis meis, & ſalutaribus ſtudiorum progreſſibus veſtrae euigilauerint curae, ſudauerit induſtria ! Sit D. T. O. M. vobis propitius, labores, operasque veſtras ſcholaſticas vix tolerabiles ſubleuet, iisque fauſtos, & fortunatos tribuat ſucceſſus ! Et tibi, ſtudioſa corona, debentur gratiae, quod ſincero huc vsque me complexa fueris amore. Mei, & inpoſterum memores vos eſſe, ne pigeat. Creſcite in ſpem eccleſiae, & reipublicae, & proficite indies magis ad ſpem vitae aeternae ! Ceterum vobis, A. O O. H. gratias, quas poſſum ago maximas, quod aures mihi beneuolas praebere, atque hanc panegyrin veſtra ornare, illuſtrareque praeſentia non recuſaueritis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google